


05

A

643









6.  
IN NOMINE JESU!  
METHODICA  
AUGUSTANÆ CONFESSIO.  
NIS REPETITIO,

*Cujus*

DISPUTATIONEM XXXI.

DE

PRÆFATIONE

ARTICULORUM CE-  
REMONIALIUM

PRÆSES

JOHANNES Deutschmann /

S.S. Theol. D. Ejusdemque Prof. Publ.  
Extraord.

&

RESPONDENS

M. BOLLEGER HOMMEL,

Chemnitio Misnicus.

proponent,

Die Maji Horis locoq<sub>3</sub> consuetis.

---

WITTEBERGÆ,  
Literis JOHANNIS HAKEN.  
ANNO M DC LIX.



M. THOMAS  
ANNO 1771  
D. 1771

DISPUTATIONEM XXVI

PRÆFATIONE



05 A 643

M. THOMAS

1771







**D**octrinalibus articulis expositis & propositis, modo per *DEI gratiam* ad *Ceremoniales* digredimur. Dicitur n. atque constitutum est *disp. 3. ch. 1.* quod in *A. C.* duplicis generis exhibeantur *Articuli*, quorum alii *Doctrinales*, alii *Ceremoniales* vocentur. Hujus *distributionis* notamus [1] *originem*. Ea non aliis debetur autoribus, quam ipsis *Confessoribus*. Hæc n. *distributio* fuit instituta statim in prima *Confessionis* constitutione, sicut apparet. [1] *ex B. Lutheri delineatione*. Nam cum primis *XIV. articulis* doctrinam fidei brevissimis lineis concepisset, *art. XV. XVI. XVII.* reliquis adjicere voluit, ubi non nisi de *Ceremoniis* differit: *XV.* agit de *Calibatu Sacerdotum*, *discrimine ciborum* & *votis monasticis*: *XVI.* de *Missa* & *communione sub utraq;*: *XVII.* denique de *Ceremoniis Ecclesiasticis* & *potestate Ecclesiastica*. (2) *ex doctrinalium articulorum conclusione*. Hanc n. *preced. disput.* juxta *Confessionis* ordinem notavimus: cum igitur *Confessores Doctrinalium Articulorum* tractationem *Epilogo* certo obfignarint, omninò præsentem à priori considerationem distinguere voluerunt. (3) *ex distincta horum articulorum præfatione*: Nā quia peculiarem his articulis *præfationem* præmiserunt, optimè tales à prioribus & clarissimè distinxerunt. (4) *ex distincta inscriptione*: quia disertis verbis titulum peculiarem huic tractatui præscribunt: *Articuli, in quibus recensentur abusus mutati*. (5) *Ex aperta Confessionis adsertione*. Nam in *Epil. generali* dicit: *Ea recitata sunt, que videbantur, necessario dicenda esse, ut intelligi possit in DOCTRINA ac CEREMONIIS apud nos nihil esse receptum contra scripturam aut Ecclesiam Catholicam*. In *præfat. Artic. Ceremonialium*, *formam doctrine* & *Ceremoniarum apud nos* allegat.



2. Hujus distributionis etiam notamus. (2) conditionem; sic verè dicitur, quod ex natura rei, vel objecti petita sit, quæ pulcherrima vel optima distinctionis cujusvis cōditio, & h. l. valet, sive Cōfessionem nostram κατ' ἀλήθειαν, sive κατ' ἀνθρώπων consideremus. Priori respectu Augustana Confessio hæc duo religionis capita, de doctrina fidei & abusibus, vel Ceremoniis papisticis proponere debebat, & Confessores etiam religiosissimi caput utrumque coram Imperatore contra Papistas exponere volebant. Utrumque caput proponere debebant (1) propter Cæsaream propositionem. Nam Cæsarea Majestas, ut verba propositionis Cæsareæ anno 1530. in Com. Augustanis habent, Amanter & Clementissime ac diligentissime, ac serio petit, ut Electores, Principes, & ceteri status in his omnibus, quantum ad unam quemq; pertinet consentiant, & promovendi negotii causa, unusquisq; juxta Cæsareæ Majestatis literas in ditionis suam opinionem & sententiam DE PRÆSENTIBUS FIDEI CONTROVERSIIS ET DE ABUSIBUS, quos Ecclesiastici contra politicos, & vicissim politici contra Ecclesiasticos, vel inter se ipsos fortassis habent, germanicè & latine scriptis comprehensus exhibeant, ut hæc dissidia & controversie rectius intelligi & expendi, & ad unam concordem & Christianam veritatem citius reduci & componi possint. (2) propter Imperatoriam præceptionem. Nam in Comitibus August. teste Chytr. p. 61. propositione facta, cum primum de Religione deliberandum esse Principes censuissent: Electori Saxonie & conjunctis principibus ac statibus mandatum est, ut FIDEI SUÆ CONFSSIONEM & sententiam DE ABUSIBUS EMENDANDIS, scripto comprehensam, Cæsarea Majestati exhiberent. (3) propter statuum Lutheranorum obsecrationem, quam propositioni Cæsareæ promiserant in præfat. §. Cumq; nos: illam etiam promissionē præstare debebant.

3. Volebant a. utrumque caput proponere (1) propter objecti qualitatem. Nam juxta B. Mylium p. 2. in art. de Abus. duplex est rerum genus, in quo vertitur nostra Religio: unum, quod habet τὰ θεῖα, quorum apprehensione internum hominem fides unice exercet; alterum, quod τὰ τεχνικά continet, quibus tractandis externus homo præcipue occupatur, dum in politia Ecclesie versatur: qua utraq; parte Religionem Christianam Papiasmus reddidit contaminatissimam: utriq; depravationis malo Fides illa Confessionis Augustanæ presentissimum Anti-

στορον



ἀνοτον ὀπποσὺν, bifida illa operis Etymologetici sectione; quartam prioris  
genus universum τὸν πῖσῶν, socris Romanensibus repurgatum, nitore  
pristino restituit: altera, quicquid ad usum politie Ecclesiasticæ & ex-  
terna Religionis exercitia pertinens, squalorem ex Papatu contraxe-  
rat, accuratissimè absterfit atq; expolivit. [2] propter Confessionis au-  
toritatem. Ut in Ecclesiis Lutheranis Confessio non tantum  
quoad doctrinalia, sed etiam quoad ceremonialia symbolum esset,  
& Lutheranos à Papistis distingveret, ideo tam ceremonialia, quam  
doctrinalia h. l. proponere voluerunt.

4. Κατ' ἀνδροπον etiam rectissimè hanc partem de Abusibus  
Confessores adjecerunt [1] propter saniorum Papistarum assertio-  
nem, quod & in doctrina papistica plurima falsa, & in ceremoniis  
plurimi abusus reperiantur. Apud ipsos (Papistas) inquit Apolo-  
gia p. 231. si qui sunt saniores, fatentur, multas falsas persuasiones ha-  
bere IN DOCTRINA scholasticorum & Canonistarum, multos præ-  
terea ABUSUS in tanta inscitia & negligentia pastorum irrepisse in  
Ecclesiam. Neq; n. primus fuit Lutherus, qui de PUBLICIS AB-  
USIBUS quereretur. Multi docti & prestantes viri longe ante hæc  
tempora deploraverunt ABUSUS Missæ, fiduciam observationum  
Monasticarum, questuosos cultus Sanctorum, confusionem doctrine de  
penitentia &c. (2) propter consuetam rigidiorum Papicolarum cavil-  
lationem. Nam & hereseos propter falsam doctrinam, & Schisma-  
tis propter mutatas ceremonias, Lutheranos accusaverant: utraq;  
cavillatio præsentis confessione coram Imperatore discutienda  
fuit. Hinc in Epilogo Artic. doctrinal. in præfat. Artic. de abusibus  
& in Epilogo generali hanc causam ostendunt, & utriusque generis  
articulos se jure proposuisse, Papistarumq; cavillationes à se meri-  
tò removisse defendunt.

5. [3] Quod rationes hujus distributionis concernit, partim  
ex modo dictis facile colliguntur, & in disp. 3. th. 1. quatuor addu-  
cuntur, nim. quod Confessores præsentis Confessionis corpus rectè  
distribuerint in Articulos doctrinales & Ceremoniales (1) propter  
controversiarum illius temporis objectum, quia tum temporis non  
tantum de fidei mysteriis, sed etiam de variis ceremoniis atque tra-  
ditionibus Ecclesiasticis controversiæ motæ fuerant. [2] Propter



adversariorum postulatam, quia Pontificii non tantum doctrinae Papisticae, sed etiam papalium abusuum restitutionem in integrum urgebant, & modo per Caesarem Majestatis auctoritatem & potestatem obtinere contendebant. [3] propter calumniarum papisticarum numerum, quia veritatis hostes coram Imperatore Nostrates non tantum *articias*, sed etiam *draçias* Ecclesiasticae postulerant. [4] propter Ecclesiasticae doctrinae statum, quia non tantum ea, quae sunt *de fide*, sed etiam, quae versantur *circa fidem*, integra sunt in Ecclesia Dei conservanda.

6. Rectissime v. locum ultimum *Confessio* servavit articulis *DE abusibus*, vel *Ceremonialibus* [1] quia hunc ordinem ipsa Caesarea propositio demonstraverat, ut ex *ib. 2.* notari potest. (2) quia doctrina ceremoniarum longe nobilior est, & articuli fidei praeter abusibus sibi locum priorem postulant. [3] quia doctrina fidei Ceremoniarum omnium est fundamentum: fundamenta v. primo loco proponere debemus. [4] quia Ceremoniarum communiter dicuntur *Appendices doctrinae*. Non a. convenit *Appendices* primo loco ponere, corpus verò *appendicibus* postponere.

7. Ut a. nostrae Meditationes in hanc posteriorem *Aug. Confess.* partem prioribus sint conformes, methodicè quoque per omnia progredimur. Occurrit igitur nobis in hac posteriori *Confessionis* parte de *Ceremonialibus* articulis [1] *Titulus*, vel *Inscriptio*. [II] *Tractatus*, vel ipsa *Confessionis recitatio*.

8. *Titulum* quod concernit, verbis sequentibus is exprimitur: *Articuli, in quibus recensentur abusus mutati. Confessio Variata* sic legit *titulum: Articuli de Abusibus, qui in externis ritibus mutati sunt.* B. Dieter. hanc posuit inscriptionem posteriori parti: *De Ceremonialibus sive abusibus agunt articuli VII.* quos postea recenset. Nos authenticum *titulum* retinemus & exponimus, qui continet [1] *Generalem formam*, quod *Articulorum* more recensentur *Abusus*, sicut in priori parte *Confessionis* fidei doctrina certis articulis inclusa fuit. Hoc commune habet posterior cum prior parte, quia tam in posteriore *de Abusibus*, quam in prior *de dogmatibus* *Articuli* reperiuntur.

9. (2) *Specialem Materiam*, quod *Abusus Mutati* recensentur



tur in Articulis præsentibus. Ubi notandū, quod Vox Abusus h. l. non *specialem*, sed *generalem* significatum obtineat, & quod non tantum ad *vitam*, sed etiam ad *doctrinam* pertineat, non tantum *ritus*, sed etiam *dogmata*, vel, ut ita loquar, *ritus dogmaticos* respiciat. Probat hoc Excell. Dn. D. Dorscheus dissert. secul. anno 1630. p. 133. (1) ex Principum & statuum Epistolis, quas ad varia decreta Cæsaris ediderunt. Sic n. ad Frider. Palatinum, Hojerum, Comitens Mansfeldensem, & Comitem Helfensteinium, Cæsaris deputatos scribunt: *Quamquam constat, multos & perniciosos ABUSUS tum IN DOCTRINA, tum IN ADMINISTRATIONE ECCLESIASTICA* habere, qui initio commoverunt non solum nostros, sed etiam alios multos, ut taxarent eos in Concionibus & scriptis, & admonerent piæ mentes, quæ, impura doctrina graviter vexata, nullam audierunt ex Evangelio consolationem, tamen, quia Cæs. Maj. publicis literis, quibus indicitur conventus, significat, hæc negotia religionis inter nos cum mutua caritate & mansuetudine agenda esse, non est visum nuper omnes ABUSUS sigillatim enumerare &c. Et paulo post: *Adhuc magis duximus, illos ABUSUS attingere, qui nostris & nostrorum conscientis oneri fuerunt, quam qui herent in moribus Ecclesiasticorum, de quibus ipsi suo tempore Deo rationem reddent, nisi illa vitia correxerint.* Itaque ne videremur hoc negotium exacerbare, sed cum debita mansuetudine agere, & ut insignes mutationes & cause mutationum clarius perspicere possent, cavere volumus, ne proluxa recitatio singulorum ABUSUUM vel offenderet animos, vel obscuraret causam. [2] Ex recepto tum loquendi genere: ubi abusus nomine & corruptela doctrinae veniunt. Vid. Lazari Schuwendij ad Maxim. II. consilium 1. 1. p. 2. constit. Goldast. p. 219. S. Es hat Gott der Allmächtige Ihrer Maj. die Augen Ihres Gemüths und Gewissens so weit auffgethan/das die nicht gar unwissend und blind der Römischen Religion beyfällig ist/wie viel andere Potentaten/die nicht anders sehen oder wissen/dann ihnen Ihre Reichs Väter zuberstehen geben/sondern es weiß sich E. M. zu berichten/ob wir nun wol ein einige/wahre unzweiffliche Religion und Bestandniß unfers Glaubens und Gottesdiensts haben/Nemlich die



die alte ungefälschte / Catholische / Apostolische Religion / wie  
Christus und die Aposteln dieselbe gelehret / und sie die allgemei-  
ne Christliche Kirche auff den ersten Concilio befand hat / und  
folgendes schier in die ganze Welt außgebreitet worden / daß doch  
bey der Römischen Kirchen die letzten Zeiten hero viel aberglau-  
ben / Abgötterey / und **MISBRACH** eingerissen sein / also  
daß schier die ganze Religion auff eufferlichen Ceremonien /  
Kirchen Zucht / und Geistlichen Gewalt / Geiz und Vorthell  
gerathen / und die rechte wahre Lehr des H. Evangelij und un-  
geältschten innerlichen Gottesdiensts unterdruckt / und schier  
gar erloschen ist. So ist E. M. gleichfalls / so viel die eingeris-  
sene enderung in Religions Sachen / wieder der Römischen Kir-  
chen **MISBRACH** belangt / auch nicht so verblindt / un-  
wissend und verbittert / das sie alles für Kezerrey achtet / und nur  
dahin / wie viel andere Potentaten trachten und gedencen wie  
man es außrotten und vertilgen / und der Römischen Kirchen  
Thun und Wesen ohn unterscheid gut heissen / erhalten / restitu-  
iren und wieder auffrichten möge &c. It. Sigism. Seldii in-  
struct. Ferd. I. dat. punct. 3. p. 190. in Politischen Reichshän-  
deln Goldasti, qui s. Sage derohalben: de Maximiliano II.  
loquens ait: Ob aber vielleicht Ihr Königl. Würde ein miß-  
fallen ob den öffentlichen und unwidersprechlichen **MIS-  
BRACHEN** / so gleich wol des wenigern theils **IN DER  
LEHR** / sondern meistentheils in dem Leben der Geistlichen ein-  
gerissen hat / das were Ihr Königl. Würde vielleicht nicht zu  
verargen / sondern sie wird auch im selben fall bey vielen Güt-  
terhitzigen Leuten Hoch und Nieders Standes Personen / ein  
grossen beyfall haben. (3) *Ex natura rei. In omni n. corruptela  
& adulteratione articulorum fidei & doctrinae Ecclesiasticae est ab-  
usus vel sacrae scripturae, vel antiquitatis venerandae, vel rationis  
humanae, vel potestatis Ecclesiasticae.*



10. Est igitur hic *titulus* satis *amplius*, & omnis generis *papisticas* corruptelas complectitur. Est etiam satis *accommodus* *huic* *materie*, cum *abusus* nomen gravissimas corruptelas notet. Sugillant quidem *Reformati* *titulum* hunc, & mitiorem esse judicant, quam errorum gravitas & tractationis æquitas permittere videatur, ex quo *Religiosissimos* *Confessores* & *adulationis* & *timiditatis* insimulandi causam arripiunt. Sed nodum in scirpo quærunt. De candore, integritate, constantia *Confessorum* ipsa tractatio & tota *Confessionis* historia nos edocet: non autem opus est, ut *Reformatorum* de iis judicia vel audiamus, vel consulamus. Et verum est, si *Confessores* affectibus dare quicquam voluissent, eos vehementiori vocabulo uti potuisse. Verum nec instituti ratio, neque temporis, loci, personarumve conditio hoc admittebant. *Reformati* suis confessionibus horridiores quærant; nobis iste *Titulus*, nostræque *Confessionis* sufficit. Nam veræ Religionis & politæ laudabilis in Ecclesia usum abusibus istis depravari & corrumpi notat. Quod est illud ipsum, de quo doceri atque informari ex hoc *Tractatu* cupimus, sicut observat *B. Mylius* pag. 7.

11. Deinde loquitur de *Abusibus* *Mutatis* non omnibus, sed *potissimis*, sicut patet (1) ex *Confessionis* *conclusionem*. Sic enim illa: *Quamquam* enim de pluribus *abusibus* dici poterat, tamen ut fugeremus *prolixitatem*, præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facile judicari possunt. *Magna* querela fuerunt de *indulgentiis*, de *peregrinationibus*, de *abuso* *excommunicationis*. *Parochie* multipliciter vexabantur per *stationarios*. *Infinite* contentiones erant *pastoribus* cum *monachis*, de *jure* *parochiali*, de *Confessionibus*, de *sepulturis*, de *Extraordinariis* *concionibus* & aliis innumerabilibus rebus. *Hujusmodi* negotia prætermisimus, ut illa, quæ sunt in hac causa præcipua, breviter proposita, facilius cognosci possent. (2) Ex *Confessorum* *responsione*, sicut verba *tb. g. m. i.* recitavimus.

12. *Titulum* excipit ipse partis posterioris *Tractatus*, qui 3. complectitur (I) *Præfationem*, (II) *Ipsam* *Articulorum* *recitationem* (III) *Conclusionem*. Hac vice de *Præfatione* tantum dicturi sumus.



13. *Prefatio* constat partim *hypothesi*, partim *thesi*: *Hypothesis* præcedentia respicit, & ex illis collectionem instituit: *Cum*, inquit, *Ecclesie apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantum paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt, & contra voluntatem Canonum vitio temporum recepti, rogamus &c.*

14. *Duplex* in his verbis *Hypothesis* continetur, quarum *prior doctrinam, posterior abusus* respicit. *Prior* ita sonat: *Ecclesie apud nos de nullo articulo fidei dissentiunt ab Ecclesia Catholica.* Per *Ecclesias* *Confessio* non *specificè distinctas*, neque *numericè totas* *Ecclesias* intelligit, cum una tantum sit vera *Ecclesia*, sed *Ecclesias* *particulariter & populariter discretas*, vel *distinctas* unius *Ecclesie* *partes* intelligit: De his *Ecclesiis apud nos*, hoc est, *Lutheranis*, pronunciat, quod in nullo fidei articulo dissentiant ab *Ecclesia Catholica*, per quam *Ecclesiam* non intelligit *Ecclesiam Romanam*, juxta præsentem statum consideratam, cum adherentibus suis, prout corruptelis variis obnoxia, quod fingit *Andreas Fabricius*, *Leod. in harm. pag. 341.* Probat hoc *Excellentiss. Dn. D. Dorscheus* *disp. 2. de Abusibus ch. 3. §. 2.* (1) *Quia de Romane Ecclesie erroribus & abusibus potissimum cum ejus capite, præsulibus & assertoribus, ipsis hætenus usque ad publicatæ Confessionis tempus arduum & molestissimum certamen fuit: imò Rom. Ecclesie promachos pro parte adversa in præfat. ad Carol. V. Imperatorem reputarunt.* (2) *Quia Catholicam Ecclesiam à Romana in Germanico Exemplari diserte distinxerunt, expressius profitentes das in ihren Kirchen nicht gelehret wird in wieder gemeiner Christlichen Kirchen: & id quidem conformiter sententiæ B. Luheri t. 1. Jen. Germ. fol. 266. ubi distinguit inter Christen und Romanisten: unter die Römische und Christliche Kirche* (3) *Quia ita fert stylus communis SS. Patrum, de quo vid. loc. alleg.*

15. *Quod autem Ecclesie Lutherane non dissentiant in ullo articulo fidei à Catholica Ecclesia*, confirmatur (1) *ex doctrina Lutherane ortu*: quia non aliunde suam ducit originem, quam ex *scriptura sacra*, sicut infensissimi *Lutheranorum* hostes in *Comitiis Augustanis* fateri sunt coacti, quod ex *scripturis S. doctrina &*  
Con-



Confessio Lutheránorum refutari non possit. Quæcunque verò doctrina deducitur ex S. L. illa non dissentit ab Ecclesia Catholica, cum scriptura prophetarum & Apostolorum sit fundamentum Ecclesiæ Catholicæ. *Eph. II. 20.* (2) *Ex doctrina Lutherane statu*: tota siquidem doctrina Lutheránorum non hominis autoritate nititur, sed verbo Dei tantum utitur addogmata fidei constituenda & confirmanda: sic igitur non potest ab Ecclesia Catholica dissentire, quæ semper Dei vocem sequitur. (3) *Ex doctrina Lutherane cum Ecclesia Catholica consensu*. Nam siue consideremus Ecclesiam Catholicam V. T. eadem nobis cum fidelibus veteris pacti fides est, sicut ex collatione patescit: siue conferamus Ecclesiam Catholicam Apostolorum, quæ in scriptis Apostolorum describitur: nihil in doctrina Lutheránorum reperitur, quod Apostolorum scriptis, & Ecclesiæ Catholicæ, quæ superedificatur illis, adversetur; siue primitivorum temporum Ecclesiam Catholicam spectemus, suavissimus inter nostram & illam consensus est, sicut ab aliis probatum. Sed *pseudo-Catholicam Romanorum Ecclesiam* nihili facimus, nec illi consentire volumus, quamdiu meretricem Babylonicam, *Anti-Christum Romanum*, adorat, & Christum vel penitus abnegat, vel alias sibi vias salutis eligendo minoris aestimat.

16. *Posterior Hypothesis est de Abusibus: Quod Ecclesia Lutherana tantum paucos abusus emittant.* Hoc intelligendum (1) cum respectu ad Catholicam Ecclesiam, cujus modo facta mentio fuerat. (2) Cum respectu ad Romanam Ecclesiam, quatenus Papistica Ecclesiæ vel Curia Romanæ opponitur, sicut sepe superiori disputatione fuit observatum. Non a. intelligendum est (3) cum respectu ad papalem vel Ecclesiam, vel curiam, quæ Pontifici Romano subordinatur, & omnem ejus potestatem veneratur. Nam inter hanc & Lutheranam Ecclesiam tum temporis apertum vigeat bellum. Per Ecclesiam Catholicam, inquit B. Grauer. pag. 501. non intelligitur Ecclesia Pontificia, à qua certè nostra Ecclesia in multis fidei articulis & dissentient, & jam dissentiebant tempore confessionis oblata, quod vel inde apparet, quia etiam hi abusus nihil aliud sunt, quam



manifesta depravatio; & corruptio articuli de justificatione, imò, etiam articuli de sacramentis, quemadmodum in progressu videbimus: verum per Catholicam Ecclesiam intelligitur h. l. vera Christi Ecclesia, quæ universalem omnium credentium fidem in verbo Dei manifestatam amplectitur, à qua Ecclesia Romanam Ecclesiam describere non obscure indicat Confessio, dum dicit, nostras Ecclesias ommittere novos quosdam abusus, qui præter morem & consuetudinem Ecclesie Catholice irrepsere in Ecclesiam Pontificiam. Et qui ibi abusus simul sunt corruptio vere religionis & principalium fidei articulorum, significanter h. l. Augustana Confessio testatur, Pontificiam Ecclesiam etiam ipsi fidei capitibus à Catholica Ecclesia describere.

16. Causas autem quare tales abusus omittant, potissimum quatuor adducit, quarum i. desumpta ab ipso nomine. Vocantur enim *Abusus*, qui nomine ipso aliquid monstrant. Et de his *abusibus* hæcenus Imperatores, Reges, Electores, Principes, omnesque *status alii* conquesti erant. Quis igitur tales *abusus* observare vellet? potius omittendi, quàm admittendi fuerunt. (2) à *novitate*, quia *novi* sunt, de quibus nihil in S. L. nihil in antiquissimis patribus, nihil in authenticis scriptoribus ullibi reperitur. Et certè valet hic illud, quod novum, illud novitatis causa suspectum, & contra regulam introductum esse videtur. (3) à *Canonum autoritate*: quia *tales abusus etiam contra Canonum*, quorum apud Papistas autoritas magna semper fuit, *voluntatem recepti sunt*: & sic verè sunt irregulares, regulis legis divinæ, regulis antiquitatis Ecclesiasticæ contrarii, ac propterea abrogandi vel omittendi fuerunt. (4) *Ab origine*: quia *temporum vitio* tales *abusus* recepti sunt. Quicquid autem *vitio temporum* receptum est, illud omninò rejiciendum, nequaquam verò retinendum.

17. *Thesis* præfationis etiam *duplex*, quia sermonem *Confessores* ad Imperatorem dirigunt, & partim *petitionem*, partim *deprecationem* proponunt. Prior *Thesis petitionem* complectitur verbis istis: *Rogamus, ut Casarea Majestas clementer audiat, & quid sit mutatum, & quæ fuerint cause, quo minus coactus sit populus, illos abusus contra conscientiam conservare.*

18. *Thesis* hæc complectitur tum *petitionis formam*, quia

Ro-



Rogant, ut *Cæsarea Majestas clementer audire velit partim* quia in literis indictionis hoc promiserat; *partim* quia sub initio Comitiorum in propositione sua idem repetierat; *partim* quia causa præsentis dignitas, necessitas & utilitas hoc postulabat; *partim* quia *Cæsarea Majestas* sine tali causa vel perceptione, vel cognitione, iudicis partes expedire non poterat.

19. Tum *petitionis Materiam*, ut *Cæs. Maj.* clementer audiat (1) *quid sit mutatum?* nim. *Abusus*, qui sunt *objectum mutationis*, quosque hactenus omnes etiam in publicis Comitibus detestati sunt: hanc igitur obmutationem non odio, sed amore digni erant, non persecutione sed defensione, neque condemnatione, sed approbatione & imitatione dignissimi censendi *Confessores*. Hactenus enim per tot secula pessimos abusus regni Pontificii prudentiores notaverant, sicut patet (1) *ex Imperatorum re- scriptis*. Habemus Capitula à *Carolo M.* edita quam plurima, quibus sive erroribus occurritur & puritati Evangelicæ consulitur, sive luxata disciplinæ Ecclesiasticæ remedium ponitur. De *Metropolitans morendis*, ut *suffraganeorum monita & emendationes suscipiant*: de *Episcopis ordinandis*: de *Mönasteriis regularibus ad regulam conformandis*: de *perpetua Abbatissarum in Mönasterio residentia*: de *potestate Episcoporum super Presbyteros & Clericos*: de *decimis Ecclesie à Clericis non vendendis, donandis, pignorandis, alienandis*: de *providentia Episcoporum circa Archidiaconos*: de *Clericis negligentibus, contumacibus & ad officium tardis &c.* Ea quæ *Carolus II. III. IV. Henricus IV.* & alii Imperatores contra pessimos Pontificum & Clericorum mores scripserunt, modo producere non est instituti. (2) *Ex Episcoporum & Abbatum judiciis & Epistolis*. Inter collectanea *Aventini* fuit Epistola inventa hoc titulo: *Epistola Episcoporum Germaniæ & Galliæ ad Papam Anastasium*. Illius ea est summa, ut moneant Papam & Italicos Episcopos, ut sese missos faciant, nec deinceps super eos tyrannidem exercere pergant. Epistola legitur in *Catalogo Testium Veritatis pag. 86. Abbas Joachim Calaber*, qui floruit anno 1230. in quibusdam Germanicis rhythmis olim scriptis, affirmat Papam & ejus sacrificulos esse AntiChristos, quod in Simoniam sint immerfi,



re luxu & libidine penitus perdit. Dicit eos sua turpitudine & sceleribus absterrere judæos, & Ethnicos, quo minus ad Christum convertantur: Inter alia quoque sic inquit:

Sehet/welch Vnehr/mit dem Spote/  
Der Christen Pfaffen bringen Gott.

*Wilhelmus, Parisiensis episcopus*, anno 1230. celebris, librum scripsit de *collatione beneficiorum*, in quo primum docet, qualis debeat esse sacerdos, tum in vita, tum in doctrina. Deinde acerrimè insectatur sacerdotes malos, & prælatos, qui tales admittant, eisq; beneficia conferant. Dicit in eis, nihil pietatis ac eruditionis comparere, sed potius Diabolicas turpitudines omnium spurcitiarum ac vitiorum monstruositatem, eorum vitia non simpliciter peccata esse, sed peccatorum monstra terribilissima, eos non *Ecclesiam*, sed *Babylonem, Ægyptum ac Sodomam* esse: prælatos non a edificare, sed destruere *Ecclesiã*, ac Deo illudere &c. Vid. *Catal. testiũ veritatis* p. 673. (3) *Ex aliorum Doctorum, Martyrum & piorum Confessorum suffragiis*, quę partim l. d. sunt allegata, partim vulgo sunt notissima.

20. (2) *Quę fuerint cause, quo minus coactus sit populus illos abusus contra conscientiam observare.* Hoc etiam Cæs. Maj. Protestantes pollicentur, se nim. exposituros, quę occasione, quę consilio, quibus de causis talis abusus mutatio sit instituta. Tacite quoq; tres causas hęc subinnuunt (1) quia populus non sua sponte, sed coactè tales abusus observavit: verus a. & Christianus cultus debet esse spontaneus, cum Deo cultus coactus neq; placeat, neq; placere possit. (2) Quia tantum abusus sunt abrogati, quos nemo in politica, vel œconomia probare potest, multo minus quisquam in Ecclesia illos tolerare debet. (3) Quia tales Abusus contra conscientiam populo sunt impositi: nemo v. Christianorum contra conscientiam cultus idololatrias observare tenetur.

21. Hic præterea notandum, quod in hac præfatione, tanquam brevi Exordio, consueta Exordiorum officia Protestantes non negligant. Benevolum sibi reddunt Imperatoris animum & petitione, & deprecatione: attentionem quoque ipsi movent, quia Rei (juxta Papistarum cavillationes tales) publicè surgere, & causam suã in publicis Imperii totius Comitibus proponere, nulli dubitant.

Docu-



*Docilem quoque ipsum efficiunt, quia statim materiam dicendorum exponunt, nim. quid sit mutatum, & quae fuerint causae mutationis.*

22. *Thesis posterior deprecationem credulitatis exhibet, ne Caesarea Majestas calumniis malevolorum facile fidem habere velit. Nec, inquit, habeat fidem Caesarea Majestas istis, qui, ut inflamment odium hominum adversus nostros, miras calumnias spargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum initio praebuerunt occasionem huic dissidio, & eadem arte conantur nunc augere discordias. Nam Caesarea Majestas haud dubie comperiet, tolerabiliorum esse formam & doctrinae & ceremoniarum apud nos, quam qualem homines iniqui & malevoli describunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non potest. Facile a hoc judicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem Ceremoniarum conservandam & alendam reverentiam ac pietatem in populo, quam si ceremonia ritè fiant in Ecclesiis.*

23. *Deprecationem a. istam instituunt coram Imperatoria Majestate (1) non ex causae pravitate, sicut scelerati culpam deprecari consueverunt. (2) non ex animi timiditate quadam, cum heroicus prorsus fuerit fortitudinis impetus & Zelus religiosissimus pro caelesti veritate contra Satanæ, Papistarumve furores in Principibus protestantibus. Memorabile fuit in Marchione Brandenburgensi, Georgio, magnanimitatis exemplum, qui teste Chytr. p. 45. cum Imperator Protestantibus interdictum concionum proponeret, & rejecta bis Principum excusatione idem flagitare non desisteret, & Ferdinandus Rex, Caesar. Maj. à suis postularis neq; posse, neque velle desistere, adderet, pio Zelo exardescens inter cetera etiam intrepidè respondit: malle se flexis ibi coram Caesar. Maj. genibus spiculatori cervicem feriendam statim praebere, quam Deum & Evangelion ipsius abnegare. Qua voce audita Imperator placidissime respondit: Non de cervice cujusquam ferienda agi, verum se, ut conciones Augustae deinceps omitrantur, serio flagitare. Electoris Saxoniae constantia & immotus, in veritate caelesti constanter asserenda, animus non satis celebrari potest. B. Luther. apud Chytr. pag. 141. Justo Jone scribit: Ego magnificè & mirificè exulto, de dono illo amplis-*



plisimo, quod princeps noster tam constanti & quieto animo est: imò cum pleriq; Papistarum sperarent & optarent, ut Comitiis non adesset gloriosissimus & religiosissimus *Electo*r, primus omnium adfuit, sicut ipse coram Imperat. in *praf.* testatur. (3) Non ex consensu cum papistis cupiditate, quasi denuo cum Papistis sentire, & in causam religionis consentire voluerint: Sed teste *B. Grauer* p. 502. longe aliud pietissimi Confessores illa petitione significare contenderunt, nim. (1) ut ostenderent, nostras Ecclesias à verà Catholica Ecclesia non defecisse, non quidem in unico fidei articulo. (2) Ut simul indicarent, Romanam Ecclesiam non esse veram Catholicam Ecclesiam. (3) Ut etiam amoverent calumnias Pontificiorum, quibus injustè premebantur. Pontificii enim Calumniatores *Cæs. Maj.* ac aliis etiam Principibus Pontificiis persuaserant, Lutheranos omnino nullam religionem habere, omnes fidei articulos negare, imò nullum Deum credere. Vid. *prafat. Art. Schmalcald.* Hanc manifestam & impiè intentatam calumniam, imò atrox mendacium ut vestri confutarent, hac excusatione & deprecatione ad *Cæsar. Majest.* uti voluerunt.

24. Deprecantur a credulitatem Imperatoris (1) ab honesto, quia honestum est, accusatos audire, præsertim quando conatus adversariorum verè sunt inhonesti. Nam (1) inhonestum est, inflammare odia hominum adversus innocentes (2) inhonestum est, miras calumnias spargere in populum. (3) Inhonestum est, irritatione animorum etiam apud bonos viros occasionem dissidiis præbere. (4) Inhonestum est, eadem arte conari discordias augere. *Cæsaream* igitur *Majestatem* compellant, ut inhonestis illis conatibus aures præbere nolit. (II) à necessario, quia *Cæsaris*, ut iudicis, erat, hanc causam cognoscere. Nam *Cæsarea Majestas* haud dubiè comperiet, tolerabiliorem esse formam & doctrinæ ceremoniarum apud nos, quam qualem homines iniqui & malevoli describunt. (III) Ab æquo: quia æquum est, causam & accusatos audire: iniquum verò veritatem ex vulgi rumoribus, aut maledictis inimicorum colligere velle. (4) à commodo. Quia facile judicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem ceremoniarum conservandam, & alendam reverentiam ac pietatem in populo, quam si ceremoniæ rite fiant in Ecclesiis.





05 A 643

ULB Halle

3

004 208 137




sch











IN NOMINE JESU!  
METHODICA  
AUGUSTANÆ CONFESSIO-  
NIS REPETITIO,

*Cujus*  
DISPUTATIONEM XXXI.  
*DE*  
PRÆFATIONE

ARTICULORUM CE-  
REMONIALIUM  
PRÆSES

JOHANNES Deutschmann /

S.S. Theol. D. Ejusdemque Prof. Publ.  
Extraord.

*et*  
RESPONDENS  
M. GOTTLIEB HOMMEL,  
Chemnitio Misnicus.

proponent,  
*Die Maji Horis locoq, consuetis.*

---

WITTEBERGÆ,  
Literis JOHANNIS HAKEN.  
ANNO M DC LIX.